

1498
Francisci
Gonzaga
levitas.

vo exercitu reipublicæ nihil proficiente, Franciscus Mantuanus Senatui se obtulit, si ei pristinum locum gratiæ restituat, illi præsto celeriter futurum, veteremque suam fidem magno cum reipublicæ usu tam dubiis temporibus præstaturum. Re a Patribus agitata, Decemviri priore iudicio in Franciscum rescisso, ac lege missionis antiquata, Senatui permiserunt, uti de eo, quod sibi e republica videretur esse, id statueret. Eo cognito Decemvirum decreto, Franciscus equites levis armaturæ septuaginta, quos ad Catherinam miserat, statim revocavit, & Ravennæ iussit esse reipublicæ obtemperaturos: & Joannem fratrem ad urbem misit actum Patribus gratias, tum ut militiæ conditionem a Senatu acciperet. Senatus Francisco equites cataphractus ducentos quinquaginta, Joanni centum attribuit: qui si numerus in tempore expleri ab illis non posset, binos equites sagittarios unius cataphracti loco uterque eorum conficeret: statuitque ut ex reliquo equitatu reipublicæ tot ad hos cum præfectis adungerentur, ut essent omnes octingenti, quos Franciscus secum adduceret. itemque ut milites ter mille magistratus Taurisani, Vicetini, Veronenses, Brixiani, Bergomates celeriter conscriberent, qui Francisco traderentur, ut Pisas vel invitis iis, per quorum fines iter esset faciendum, pervenire posset: legatumque ei Nicolaum Fuscarenum declaravit. Senatusconsulto accepto Franciscus evestigio ad urbem venit, Principisque pedibus prope advolutus, tempus dixit sibi exoptatissimum venisse, ut fidem studiumque in illum suum, atque amorem erga rempublicam, quem a puero susceptum constantissime semper coluisset, improborum eorundemque invidorum hominum maledictis offusum & interpellatum, Senatui probaret. Patres ei libras auri centum in stipendii partem numerari statim jusserunt, quibus decem dono datæ adjungerentur. Iis Pisas rebus celeriter perlatis, civitas animos jam prope infractos confirmavit, spemque cepit fore, ut hostes non diutissimam ex recenti victoria lætitiā essent habaturi: se seque ad omnem oppugnationem sustinendam, dum